

III.  
NEOVIDENSIS

Nro. 10. (Neovidensis 1808. Nro. 7.)

*Secretum litterarum Commercium  
Vivos inter et vita functos.*

Caupo quidam germanicus, ad Cellarium Joannem  
Hoppas in Elysio (responsi instar ad litteras sub  
Nro de 7 Neovid. Nro 4.

Ex mundo sublunari.

Die Veneris. 5. Feb. 1808 (Neov. 19. Jan. 1808.)

**L**egi, perlegi tuas, de dato 8. Jan. ex campis  
Elysiis ad Cellarium meum *Martinum* litteras, ve-  
ro cum animi, & mutui doloris sensu. Cellarius  
meus Martinus in iis vitæ conditionem suæ ve-  
lut in speculo exhibitam intuebatur, ex eo tem-  
pore cuactabundus discurret, meditationibus de  
futuro immersus; ita sibi ereptum, sæpe solatio-  
so illo proverbio excitare debeo: — „Martine!  
maeste animo! antiquus Deus adhuc vivit! quò  
audito rursus progreditur. —

Equidem ipse Cellarium egi, calleoquæ mi-  
serias hujus status, & dum præteritorum non-  
nunquam temporum recordor, tum fateri cogor:  
quid? — me in qualitate cellarii beatiorem vi-  
tam egisse, quam de presenti in munere Caupo-  
nis gero; hoc nonnemini paradoxum videbitur,  
verum scribo ex visceribus sensationum mea-  
rum, ita, & non secus, res est, dabo paucis rerum  
mearum imaginem.

Ante circiter 24 & 30 annos loca diversoria ita comparata erant, ut quivis itinerans paucis nummis pro prisco more germanico in eo expectationi, votisque suis satisfieri viderit; at excelsi opulentique domini diversas susceperunt iterationes, & tum quivis cauponarius sollicitus fuit, ædes suas ampliores reddendi, atque externum quoque decorem conciliandi; tum non amplius Caupona, sed *Hospitales ædes* vocabuntur, — animus erat erigendi palatia, ad plures alliciendos hospites, quo factum est, ut nonnulli potentiores domini pluribus hebdomadis loco tali diversorio cum familia immorati fuerint.

Eotum utique aliquid merendi erat occasio; victualia levi pretio erant, vinum in copia, potentes domini liberalitate excellabant, nec morabantur conspicuam summam impendere, imo præterea remunerationem adjecere; constat: Carolum principem in suo ex Belgio Vindobonam itinere, aut ex ea reducem, quivis cauponi, apud quem noctem egerat, centum ducatos muneris loco dedisse; hæc erant tempora! centum aurei eorum hodiernos tercentos valore præstiturunt; ita omnia pretio increvere, in ratione contraria monetæ valor minutus est.

O svaviole Hoppas! illa erant tempora! eotum simplex germanicus victus vigerat; 48 Crucigeris itinerans prandium cum lagena generosi vini petere, & obtinere potuit; omnia erant in proportione, at ex 30 annis producta minimum in triplicem pretio increvere, pretium vero in loco diversorio vix duplicatum est.

Eorum ars eoquendi etiam non ita ex-culta est, prout hodie; quinæ, summum sex dapes suffecere; imo jam epulæ habebantur; verum ex quo omnes artes progressum fecerunt, & ars deliciose palatum irritandi nequaquam neglecta est; quot condituræ, jusculorum artificiosorum genera, quot sapidæ dapes non fertile ingenium humanum detexit? quis unquam cogitasset: parari posse ex rapis jusculum, & tale quidem, quod omnia, quæ in hoc optimo mundo parantur, dulcore, & nutrimento palmam præripit? solana tuberosa, quæ in Gallia solum, & Italia nascabantur, vix de nomine nota erant, placente jecorinæ tardioris primum ævi inventum sunt; dum videlicet eruditi nostri compere-runt: *Jecur anserinum* jam Romanis in deliciis fuisse — & *ostreæ* cum tuberibus? has me-rito phœnicem deliciarum possis nuncupare.

Jam vero ingrediatur delicatulorum ali-quis diversorium locum, cujus palatum de-liciosis id modi bolis asvevit, quid, amabo, ei appones, ut desideria ejus expleas? pri-scus germanicus victus, etiamsi nonnihil ex-cultus, ori ejus delicato non aridet; ex quo fit sæpenumero, ut quivis in ratione ciborum excipiat, uni dulcedine, alii aciditate, hi robore, illi succo destituuntur; jam mente quis concipiat cauponem, ut sudore frons ejus manet, dum frivolas id genus exceptiones, culinariasque recensiones auribus usurpare cogitur; quippe litteratura eandem cum coqui-na sortem habet; Critones in utramque misero

deasciunt; Carus Martinus meus sæpe quidem talismodi audit objectationes, at levibus eas humeris excipit, quod non directe ipsum adficiant, in meam œconomiam, in meum caput, dira quæque hæc jaciuntur fulmina,

Fortuna, magni nominis dominos locum diversorium subeuntes videndi profecto hodierna ætate parum lucrosa felicitas est. Barones, Comites, Principes hodie in propria, ut dicitur persona, una rheda, & uno servulo itinerantur, tamque populares facti sunt: ut mensæ, quæ nomen fert, *hospitum* assideant, & comedant: si cum feminis, aut exiguo muliebri comenatu adventent, tum per diem vix sextarius vini ebibitur, & tamen servitorum, atque imperationum nullus finis. — Care Domine *Hop-pas*! qui Elysio jam perfrueris, ad fidem meam loquor: ex victu, et ciborum adparatu, nullum redundat lucrum, unum vinum modicum adfert; et hodierni, fortassis ob rationem temporum ita se crumenamque suam contrahentes domini parum ad mensam emolumentum adferunt, si vinum non bibant; aut melius loquendo, si more veterum Germanorum, *ad pocula largiter se non invitent*.

Quæ causa est, quod punctum ferat meum illa caupona, in qua officiales publici, Consiliarii, alique in munitis civilibus consitiuti, in, & egrediuntur; in quibus mercatores, cives, magistratuales, & alii id genus negotiorum administratores hospitantur; apud hos prisca adhuc illi mores majorum non degenerarunt; sunt eloquentes, sunt jucundi,

hilares, — & quod summum — *expendunt* —  
& hoc verum est criterium œconômici lucri.

Si cauponam meam cum calculationibus  
*Cel. Silsmilchii* confero, & calculum in eo, tum,  
ad fidem dico, nescio ubi caput meum con-  
sistat. Tam pretiosæ ædes! in quas erogatum  
capitale minimum 5 pro centum census  
inferre deberet, tam numerosa familia, tanta  
turba cellariorum & adparitorum! copia sup-  
pellectilis linæ, tum deteriorationum quod no-  
mine venit, tot tantæque reparationes, tot  
contracta vasa testacea & vitrea, orbiculi,  
ollæ, pocula, lagenæ, tot erogationes, &  
denique meditatio: tot cubilia vacua relin-  
qui, hospites non adventare, omnes itineran-  
tes ratione, qua licet, parcissima vivere vel-  
le, summum unum *haustum* aut sextarium bi-  
bere, — O! vere nescio caput meum! non  
audeo cogitare.

Porro expendatur apud animum strepera  
cauponis vita, quantus tumultus, quanta  
cursitatio, & fugitatio, quantus & quam in-  
conditus clamor! a mane ad seram noctem,  
die tota, & tota nocte nulla quies, nulla pax; jam  
tumultuoso agitatus genio domum incolit, jam  
ebrius inhabitat, jam criticus, jam *erro* (*Avantur-  
rier*) excipitur, qui vespere discedit, cistam la-  
pidibus onustam relinquens, & quin contractum  
nomen expungat, erroneam existentiam ultra  
auferens.

Cellarius quidem, verum est, partem capit  
de omnibus his miseriis, attamen detrimentum  
non patitur; non enim crumenam ejus adficit;

suis partibus vacat, pensum quotidianum absol-  
vit, & si male cum hero ei conveniat, colligit  
sarcinam, & more Cellariorum aliquot domibus  
ultra saltat — & quod fuit, est iterum: *Cellarius.*

At: ut caupo, quod est, manere potest, dum  
omnia per sinistre decurrentem œconomiam  
deperdita decocta que sunt?

Id quoque verum: itinerationem hodierno  
tempore admodum sumtuosam esse; quippe An-  
gulus quidam asserit: se illam pecuniam, qua  
Neapoli Caletum usque pedetentim vectus opus  
habet, quadriga promovere non posse; si in ar-  
gento consisteret; at quid diversitores pos-  
sunt, quod omnia tam caro pretio veniant? pro-  
fecto ante quinque viginti Annos, quibus rerum  
ubertas & pretiorum fuit vilitas, plus lucri  
redundabat. *Experto crede Ruperto.*

Nonnunquam hospitem a caupone exaggerata  
ratione tractari, ab eo impensas duplicata ut a-  
juat creta notari, quia a multo tempore hospiti-  
bus caruit, & hac ratione se indemnem reddere  
vult, id quidem sume iniquum esse, ultro largior.

Verum enim vero; dic quæso: quo in vitæ ge-  
nere meros honestos offendis homines? an in 12  
Apost. Judas non repertus? ergo in tanta diversi-  
torum turba, qui tanta sanctitate non pollent,  
quanta Apostoli, quid mirum, si unus alterque ir-  
repat? hoc fragilitati & imperfecti oni huma-  
ni generis tribuendum.

Atque hæc sunt animo dilecte Hoppas! quæ  
ad pretiosas tuas de 8 Jan. litteras responde-  
da existimabam; plura possem adjicere, at spero  
a quoque bene cogitante intelligat, & ex  
his cognoscentur uberiora.

Cum vero in Elysium litteras expediam aliqua etiam nova; ad beatos manes cum nostris negotiis oblectandos, hisce expediendi animus est.  
*Continuatio Responsi Regis M. Britanniae ad Declarationem aulae Petropolitanae.*

Quod si etiam Intermediatio optatum ad finem deduxisset, & pacem a Cæsarea Maj. vadi-  
 monio munitam procurasset, an Sua Maj. du-  
 rabilem firmamque id genus Conventionem spe-  
 ratura erat, postquam perspexerat: ut Imperator  
 Russiae supremum Jonicæ reipublicæ Insularum  
 Dominium, quarum independentiam paullo an-  
 te solennibus pactis (*Garantia*) firmarat, coram  
 oculis Europæ Galliae resignaverit; Interim dum  
 declinationis Intermediationis Imperatoris Rus-  
 siæ inter M. Britanniam & Galliam pro motivo  
 justæ affectionis Cæsareæ Maj. valor intenditur,  
 studium interpositionis ad revehendam M. Bri-  
 tanniam inter & Daniam pacis, ceu læsio adum-  
 bratur, quæ moderationi suæ Cæsareæ Maj. in-  
 tolerabilis existimatur; Sua Maj. nequaquam  
 suæ obligationis censet coram Imperatore Rus-  
 siæ intuitu expeditionis Hafnensis semet defen-  
 dendi; sane his, qui partem in secretis conven-  
 tionibus Chronopolitanis habuere, non compe-  
 tit, satisfactionem in argumento agendi rationis  
 exigere, cui ipsæ hæ conventiones occasionem  
 dedere, & per quam unum ex earum argumentis  
 feliciter irritatum est, legitimatio suæ Maj. cum-  
 primis intuitu expeditionis Hafnensis coram o-  
 culis Europæ versatur; in declaratione Impera-  
 toris Russiae, quod ad ejus integritatem desidera-  
 tur, cubaret: si convictio maxime etiam increduli

argumentum adhuc pro edocenda adjunctorum necessitate deposceret. Verum usque promulgationem Russicæ Declarationis nulla suæ Maj. suberat suspicandi ratio : quæcunque etiam opinio Imperatoris Russiæ intuitu eventorum Hafnensium fuerit, eam Suæ Maj. impedimento esse posse, ad petitum M. Britannicæ eundem actum intermediationis, cui tam promptè intuitu Gallicæ opera navatur, suscipiendi. Id quoque probe callet Sua Maj. prima indicia reviviscens fiduciæ ex tempore pacis Chronopolitanæ in eadem tempora incidere, quibus primum obsidionis Hafniæ nuncium Petropolim allatum est; Inviolabilitas Maris Balthici, & reciproca *Gvarantia* ditionum & Statuum eidem adsitorum, quæ *Gvarantia*, prout adstruitur, cum conscientia M. Britannicæ solenni stipulatione inita est, ceu adjuncta adducitur, quæ iniquitatem operationum Suæ Maj. in memorato mari adhuc auferent. Certe id consilium nequaquam esse potuit, credendi : Suam Maj. ullo unquam tempore principia agnovisse, queis sanctitas Maris Balthici superstruendianimus est. Interim fieri potest : Suam Maj. certis temporibus, singularibus ex rationibus intermisisse adversa his principii ratione agere ; at idmodi agendi ratio ex parte Suæ Maj. solum in vero pacis, & neutralitatis statu septentrionis, locum habere potuit, profecto autem a Sua Maj. expectari non potuit : postquam in tota Maris Balthici ora a Danisco Lubecam usque Galliarum absolutus dominatus toleratus fuisset.

*Continuabitur.*